

53/113
EPIGRAMMATA
IN VIRORVM LITERATORVM
IMAGINES,
CNH
1425
+
QVAS ILLVSTRISSIMVS EQVES
CASSIANVS A PVTEO
Sua in Bibliotheca

Dedicauit,
CVM APPENDICVLA
Variorum Carminum.



ROMÆ
Excudebat Ludouicus Grignanius.
CIO IOC XLI.

Superiorum Permissu.

ALFRED M. MARRAS

MINOTARIUM IN VINO VI

1894-1895

UNIVERSITY OF LONDON

1894-1895

1894-1895



1894-1895

1894-1895

1894-1895

Illustrissimo, & Reuerendissimo Dño

D. CASSIANO A PVTEO

ABBATI S. ANGELI, D. STEPHANI

Equiti, & Commendatario.

GABRIEL NAVDAEVS PARIS. S.P.D.



ORTUNAE meæ beneficium agnosco, *Vir Illustrissime*, quòd à Puteanis Fratribus, qui me cùm Parisijs versarer, suum esse voluerant, ad te, Fratremque tuum postea deuenerim, qui me Romę degentē, vestrū pariter esse voluistis. Nempè cùm vobis iuxta ac illis propositū esset, literarum studia, & bonas artes pro virili iuuare, addictosquē illis homines amplecti, fouere, & officijs omnibus prosequi, quibus eorum industria se liberiùs explicare posset, non mirum est propterea, si me, cui semper animus fuit à mitioribus studijs non alienus, eadem omnes beneuolentia cōplecti, ornatiorēquē facere voluistis. Adeò quidem, vt à Puteanis Fratribus Parisinis discedēti, nihil commodiùs fuerit, quàm in Romanos incidere, qui mihi istorum desiderium, non modò nominis, sed actionum, & morum consensione lenirent. Etenim si illi nobiles sunt; si opulenti; si à molestis, difficilibusquē negotijs remoti; si rerum humanarum vicissitudines, ex beatissimę tranquillitatis specula respiciunt; si libris, signis, picturis, numismatis, & omni supellectile literaria non mediocriter instructi sunt; si denique in iudicio literarum, & omni

vitaē

vitaæ colore teriffimi habentur; Vos profectò non
minorem ex eiusmodi titulis omnibus gloriam, vobis
afferuiffis: ac fi illorum Domus publicum est Lutetiæ
Athenæum, quo viri doctrina celebres lubentiffimè
conueniunt, veſtra, non ſecus eſſe Romanæ Urbis
Academia cenſetur, ad quam ſinguli de rebus toto
Cœli, Terræque complexu nouis, & admirandis refe-
runt. Quamobrem patet illa quotidie nobilibus adue-
nis, eoſque, vix limen ſubeunt, continuò in admira-
tionem rapit, earum rerum, quas continet incredibili
varietate, & præſtantia. Verùm quoniam tenuitatis
meæ non eſt, vel Puteanorum Pariſienſium encomia
texere, quæ ſola cultiſſimam ſibi panegyrim depo-
ſcunt; vel tua *Vir Illuſtriſſime*, & Fratris tui CAROLI
ANTONII merita, quæ numero propemodum infinita
ſunt, recēſere, qui nedum ornamenta tuarum ædium
omnia, ſatis pro ipſarum dignitate commendare poſ-
ſem: faciam idcirco, quod moris eſt Pictoribus impe-
ritis, dum titulos præclaris aliorū tabulis appingunt,
& imagines Virorum alioquot literatorum, quibus
ad hūc diem, in inſtructiſſima tua Bibliotheca locum
eſſe voluiſti, ſingulas Epigrammate proſequar, ne
ipſis maxima pars gratiæ pereat, quàm ſolet eiusmodi
ſignis, & imaginibus breue quoddam elogium conci-
liare. Tibique, *Vir Illuſtriſſime*, quicquid iſtius opelle
eſt, offerre eius muneris loco conſtitui, quo incunte
nouo Anno, Clientes, ſuos Patronos proſequi, ex ve-
teri inſtituto ſoli ſunt; atque etiam, vt tuam in me
ornando propenſam voluntatem, plurimi apud me,
& eſſe, & ſemper fore, ſignificem. Vale.

Romæ Kalend. Ianuar. Anni cdo Idc xli.



In Imaginem

MAPHAEI CARD. BARBERINI,

N V N C

VRBANI OCTAVI

PONTIFICIS, AC POETÆ

MAXIMI.

Cum triplici ornatam gestes Diademate frontem,

Arbitrio parent quòd tria Regna tuo :

Nunc Musæ te sacra volunt sua ducere castra,

Et tibi de Lauro quarta Corona datur.



CARD. BARBERINI.

Scribendis FRANCISCE nequis dare tempora libris ,

Dum te tot rerum pondera magna premunt :

Grandia sed docta tribuas quod premia turbae ,

Cui tua continuò Bibliotheca patet ;

Auspicijs viget inde tuis Parnassia Laurus ,

Nullaque nunc sine te pagina nomen habet ;

Vnde tuam mira cùm CASSIVS arte figuram

Pingere tentaret , Cynthius hac monuit ,

FRANCISCO mea mens, mea frons, mea cōuenit etas,

Elige nunc Hominem pingere , siue Deum .



N. C. FABRICII PEYRESCII

Senatoris Aquensis.

*Cum peterem Fabri tabulam cur CASSIVS auferet
A reliquis ? dictum est , ponere vult Statuam .*



*Euge noua, Licete, mihi celebrande, tabella,
 Que modo Felsinea, discolor Urbe venit,
 Hanc ego cum video, Pictori figere vellem
 Oscula, qui dextra nobile fecit opus.
 Nam forma bona cuncta tue, viridisquè senectus,
 Viua mihi ut semper, nunc quoquè picta placent.
 Sic oculos, sic ora geris, sic barba verenda est,
 Sic placido in vultu densa supercilia;
 Sic tegitur roseo facies pudibunda colore,
 Tempora sic fulgent candidiora niue.
 Denique qualis honos spirantis regnat in ore,
 Talis Apellea cernitur in tabula.
 Fortunate Senex! poterit nunc quilibet, istà,
 Quantum animo valeas, discere, ab effigie;
 Nam voluit natura tuis benè picta libellis,
 Esse aliquem, qui te pingeret arte pari.*

PAULI IOVII

Nouocomensis.

*Aspera cur Iouio facies sit picta, requiris?
 Delicias omnes continet Historia.
 Nempè Venus, Charites, Muse, Sapientia, mentem
 Huic voluere viro fingere, non faciem.*

IO-AN. BAPTISTAE DONI
Florentini.

*Carmina dum pangis lectissima, qualia nempe
Virgilio Aonides sæpè dedere suo.
Verbaque dum renouas meliori tempore nata,
Et veteri queris saxa notata manu.
Denique Plectra modis resonent cùm tinnula priscis
Te Duce, cui mores, factaque prisca placent.
Hoc quoque consequeris meritò, cultissime Doni,
Nè minor antiquis, sis mihi laude viris.*

GALILAEI GALILAEI
Florentini.

*Non vultum, Galilæe tuū mihi cura videndi est.
Ast oculata magis picta tabella placet:
Namque oculis referata tuis qui sidera vidi,
Et Cælo per te reddita iura nouo.
Nunc oculos ceca dudum sub nocte latentes,
Aequa non possem cernere mente tuos.*

FEDERICI PENDASII
Mantuanii.

*Principibus dilectæ viris, Federice, putabam,
Ingenio maior quòd tua fama foret.
Sed tua scripta legens, meritò nunc dicere cogor,
Ingenio quod sit maxima fama minor.*

GASPARIS SCIOPPII

Franci.

Pingere qui Scioppi rursus vult ora disertis,
 Hunc ita ni pingat, non bene pictus erit.
 Exprimat è lingua pendentes mille catenas,
 Quis totidem Heroas post sua terga trahat.
 Scilicet Herculeo Populus pendebat ab ore,
 Sed Regum turmas Scioppius ore trahit.
 Ac populo quantum præstant Diademata Regum,
 Hercule sic melior, Scioppius esse potest.

LEONIS ALLATII

Chij.

Sic quoque pictus ades tabulis, Leo noster, in istis.
 Nulla sit ut roseo tincta colore magis;
 Nimirum quanto Musarum pectus amore
 Ferueat, ex malis noscitur inde tuis.
 Sed quia Romana facies tua clauditur aula,
 Hanc alibi facient tot tua Scripta fidem.

PETRI ARCVDII

Corcyraei.

Artibus ingenuis ne Græcia mæsta careret,
 Antiquo veluti nunc caret imperio.
 Illa tuo, Arcudi, studio, magnoque labore,
 Agressa est tandem pellere barbariem.

HIERONYMI ALEANDRI IVNIORIS

Foro-Julienſis .

*Cum Muſis dilecta cohors, Aleandre, ſepulchrum
Trifte, tibi fuſis verſibus extrueret,
Obſtupui varias tot in uno funere gentes,
Eloquio ſimiles nobiliore loqui.
Sed tacitus dixi, mortali talia dentur,
Immortalem te quid pia verba iuvant?
Ite leues elegi, pullata cedit veſtes,
Non facit ad laudes nenia veſtra Dei.*

IACOBIMAZONI

Cæſenatiſ.

*Tam varijs cinctus libris petis aduena cur ſit
Mazonus, fama notior ante tibi?
Colligit armatas celebri pro Dante cohortes,
Quem biſido multi pellere monte volunt.
Sed mage debuerant præcingi tempora Lauro.
Quam debellato victor ab hoſte tulit.*

BERNARDINI TELESII

Conſentini.

*Inclſta cum pareret celebrem Conſentia Cinem,
Hec viſa eſt monſtrum tunc peperiffe ſibi.
Nec fuit augurium fallax, nam prodita nulli,
Deregit, & monſtrum ſic fuit ingenij.*

*Gallia Romanis quòd nil concedat auitis ,
 Hoc , Murete , tuo possidet eloquio .
 Quòd pariter Græcos æquet sermone vetustos ,
 Budæe , est factum sedulitate tua ,
 Sed quòd mollis Arabs , quod Medus , Apellaq; pauper ,
 Occultis nequeant verba referre modis ,
 Hoc opus est , Morine , tuum , quo sospite , Gallus
 Tot sibi linguarum vendicat imperium .*

ALEXANDRI TASSONI

Mutinensis.

*Cur sicum , Tassone , manus gerit altera , teque
 Ex studijs aliud nil retulisse putas .
 Cum Sicula exciuit tantas quæ rapta ruinas ,
 Aequalem faciat te propè Virgilio .
 Scaliger hanc regnis meritò præferret auitis
 Fortunam , qui te vinceret ingenio .*

IOANNIS BAPTISTAE PORTAE

Neapolitani.

*Si tibi venturo similis nascatur in ævo ,
 Naturæ nullum postea Numen erit .
 Nam stolidò quæcumque facit miracula vulgo
 Abdita , ferme tuo , Porta , labore patent .*

SCIPIONIS CLAROMONTII

Cæsenatis.

*Docte senex Patria gestis dum facta referre,
Vrbis amor meritò diceris esse tua.*

*At certa dum regna doces consistere forma,
Et veteri Stellas ire, redire via.*

*Tunc meritis Cæsena tuis non aqua rependit
Præmia, sed melius diceris Orbis amor.*

*Atque tuam titulis decoratam Cassivs istis,
Illustres inter collocat effigiem.*

ANTONII SCAINI

Salodiensis.

Qui frontem obducit, pullum qui gestat amictum,

Qui priscos mores exhibet in facie;

Abdita diuina meditatur scripta loquela,

Vastaque nature tecta subire cupit.

His igitur grauibz studijs qui tempora ponit,

Non poterat pingi nobiliore modo.

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS

Lusitani.

Pingua quadrata quæ prospicis ora tabella,

Non benè tam pingui mente fuisse, putas,

Nam Medici facies Castrensis, sic erat, cui

Quem meritò nostri dixeris Hippocratem.

*Exigua nunc te pictum, Catarine, tabella
CASSIUS exhibuit; sed tempora mente reuoluo
Proxima, cum Galli, quorum memorāda potēti
Facta refers calamo, Validi molimine ferri,
Grandia saxa cauis de montibus eruta, plumbo,
Aereque tentabunt liquefactonectere, dignam
Ut meritis Statuam ponant ingentibus, atque
Innumera obseruent nostri, post sæcla nepotes,
Historiam, quam tu nobis, Vir magne, dedisti.*

IOANNIS BARCLAI
Angli.

*Et tabula, & libri monstrant tibi, Iane, fuisse
Corpore tam pulchro, pulchrius ingenium.*

THOMAE CAMPANELLAE
Alias.

Septimontani Stilenfis.

*Effigies miranda viri mirabilis ista est,
Si modò nature par fuit artis opus.
Nam geminas torquent oculi sub vertice tedas;
Et caput in septem scinditur areolas.
Scilicet ingenio potuit qui vincere cunctos,
Diversam à cunctis possidet effigiem.*

AVGVSTINI MASCARDI

Lunenlis.

*Dulcia facunda tot profers munera linguae ,
Dum Vatis gestas munus , & Historici .
Ut scriptis , Mascarde , tuis , non Vlla ferantur ,
Quae magis arreeta Cynthius aure bibat .
Scilicet ista tibi Romani copia mellis ,
Venit ab Urbana quam comitaris Ape .*

IACOBI GAVERIDI

Tauroentij Gallij.

*Grata subobscuro facies depicta colore ,
Et veste in varia pendula Caesaries .
Gaufridi sunt signa mei , quem flore iuuenta ,
Tam docta stupuit , Felsina voce loqui .
Et nunc inuicta quamuis sub Principe tractet ,
Plurima secreta facta notanda manu .
Non tamen exulto moliri grandia cessat
Ingenio , Musis gratior inde suis .
Hunc igitur meritò indigenam sua Gallia laudat ,
Et meritò Ciuem suspicit Italia .*

CLAVDII MENETRIERI

Bisontini.

*Aduena scire cupis Rome cur saxa loquantur ?
Muta alibi cum sint , Claudius ista facit .*

*Cernere querebànt Medici semel ora periti,
 Qui modò Romulea primus in Vrbe fuit.
 Cùm mihi fama loquax molli blandita susurro,
 Cassivs hunc dixit fertur habere Domi.
 Hinc nitidas Cassi lustrando protinus ades,
 Contigit effigiem cernere Marsilij.*

CAESARIS CAPORALIS

Perusini.

*Festivos properas, Cæsar, dum pangere versus,
 Mixta tibi liquido nectare vena fluit.
 Sed Mecænatem lepido dum carmine pingis,
 Tunc veniunt hilares ad tua verba Dee,
 Tūc tibi membranam Vitulina, Lubentia pennam
 Porrigit, ac Risus fundit ab ore sales.*

BETISIAE GOZZADINAE

Bononiensis.

*Candida purpureo facies suffusa colore,
 Fascia cui rutilas circuit alba comas;
 Talis erat castæque simul, doctæque puella,
 Quæ Patris infirmi munera sæpe tulit.
 Altaque facunda sit pulpita voce replevit,
 Ut foret in Nata lingua diserta patris.*

Madritensis.

*Loppius hac tenera meditatur carmina fronte,
 Et tota vatem sustinet effigie.
 Miror at Hispano tot carmina digna cothurno,
 Tam parui capitis fusa fuisse viro.*

IOANNIS CRASSOTI

Lingonensis.

*Sic erat intonsis facies neglecta capillis,
 Quæ post se turmas hominũ, iuuenũq; trahebat,
 Implicitos quoties referabat Philosophie
 Nexus, vel media victor certabat arena.
 Nam memini, Crassote, tibi quos ferret honores
 Gallia, quas tribuit populosa Lutetia laudes.
 Et nunc quod Patriæ meliori, redditus, alma
 Tecta colis Superum, plausu tua Scripta canoro
 Excipimus, pictumque iuuat nos cernere vultũ.*

FERRANTIS IMPERATI

Neapolitani.

*Congessit longo Ferrantus cuncta labore.
 Quæ sunt sub Terra, quæque sub Oceano.
 Vnde suas natura cupit cum cernere gazas
 Vnam Ferrantis, tunc petit illa domum.*

Tecta caput niveo, sed pectora vellere saluo
 Cincta, Deo fundit grata Morella preces.
 Sed gemina pollens cū docta volumina lingua
 Componat, mundo non minus ipsa placet.
 Sidereis sic nata plagis Pia virgo necesse est,
 Quæ calamo Mundum flectit, & ore Deum.

BENEDICTI CASTELLI

Brixienfis.

Quod benè dimensis Galileo nomen ab astris
 Aduenit, hoc Lymphæ dant, Benedicte, tibi.
 Sic paribus Studijs, laudem tribuere, Magistro
 Excultum Cælum, Terraque Discipulo.

PETRI POTERII

Andegauensis.

Excocto Gallis constant medicamina succo,
 Solaque Germanis fusa metalla placent.
 Vtraque sed tanta miscet Poterius, arte,
 Vtrisque ut præstet, seu Deus alter ope.



GABRIELIS NAVDAEI

Parifini.

*Me quoque ſim quamuis nulla verſatus in arte,
Mixtum præclaris cernis adefſe viris.*

*CASSIVS aſt nuneo ſemper mihi pectore cultus,
Hoc noſtræ ſtatuit pignus amicitia.*



Diuerforum
CARMINVM
APPENDICVLA.



FEDERICO VBALDINO

GABRIEL NAUDAEVS

S. P. D.



INVS forsan consultò facere tibi videar,
 FEDERICE VBALDINE, qui in ea Ciuitate,
 quam tua quotidie, doctissimorūque Vi-
 rorū, Holstenij, Tortoletti, Porcij, De Si-
 meonibus, Iani Nicij, Rocci, Guidiccioni, Boccardi,
 Sacchi, Tronfarelli, Camolæ, Pollini, Moroni, Lotti,
 & aliorum non infimi spiritus vatum carmina nobi-
 litant, mea quoque, veluti si eundem cum tuis, illo-
 rumque Musis splendorem obtinerent, in medium
 proferre non erubescō, verum nisi hæc ipsa merito
 suo tibi probetur, quod optime sentio quàm sit exi-
 guum; Spero tamen vel eo solo nomine conatum
 hunc meum tibi gratum, & acceptum fore, quod ve-
 stris omnium imaginibus celebrandis, postquam sci-
 licet Illustrissimus Eques CASSIANVS, copiam ipsa-
 rum sibi parauerit, idem pariter inferuire debeat,
 cuius sponsonis meæ vadem apud illos te constituo,
 quem mihi non semel in rebus meis fauentem sum
 expertus. Interimque tibi Appendiculam istam
 Epigrammatum, ne Kalendis hisce Ianuarijs nullo
 te munere prosequar, in obsequij mei fidem, & pro-
 pensæ voluntatis significationem offero.

Romæ cło Ico xli.

RENATVM MORÆVM

Cum Vitas Medicorum Parisiensium
scriberet.

*Illustres Medica Proavos dum pingis in arte,
Gestaque tot Procerum nobiliora refers;
Si tibi pro meritis reddatur gratia, vite
Tot tibi debentur, quot tua penna dabit.*

Præfixum Authoris

A P O L O G I Æ

Pro Viris Illustribus, &c.

editæ Parisijs 1625.

*Intactæ virtutis opus, Iuuenisque laborem,
Excipite illustres animæ, doctique parentes
Nominis, & Genij, ne postera secula credant,
Et vos in magicis pariter peccasse susurris.*



P A N E G Y R I M A G N Æ,

& Orationibus Encomiasticis Medicorum
 Parisiensium,
 editis Lutetiæ 1628.

*Phœbe potens artis Medica, pater alme medentum,
 Quos complexa sinu populosa Lutetia iactat,
 Adsis, dumque noui subeunt tua templa ministri,
 Auratam chlamydem, radiantes exere vultus,
 Aut roseis niuibus, vel grati nube liquoris,
 Hanc Medicam consperge domũ, meritoque fauore
 Complue Laurigeros turbæ victricis honores.*

*Et vos ingentis famæ decorata trophæis.
 Proles certa Deum, vestræ solatia matris
 Vicinas Phœbo quæ iam reuolastis ad oras,
 Felices animæ, quarum post fata, superstes
 Nomen adorandum nobis pro numine restat,
 Cernite Laurigeros turbæ victricis honores.*

*Quosque graues annis atas iam fracta caducis
 Vrget ad occasum, properantis docta Senectæ
 Numina, Phæbeo multum spirantia rore;
 Quæis datur ut sensus tutò spectare latentes
 Hippocratis liceat, formamque tenere medendi,
 Ducite Laurigeros turbæ victricis honores.*

*Et quibus acta prior cum laude effloruit ætas ,
O fortes animi ! plenis iam viribus inter
Tot dubij Martis pugnæ , tot Bellæ probati ,
Vt nunc parta quies , meritò nunc otia dentur ,
Vestra triumphales dum cingunt tempora palmæ ,
Dicite Laurigeros turbæ victricis honores .*

*Et vos ò Iuvenes medicæ quos fama palestræ ,
Et decus inflammat , curuatis pondere ramis ,
Carpite maturos sæcunda ex arbore fructus ,
Et quæ venturis promittit germina lustris ,
Plaudite Laurigero turbæ victricis honori .*

Laurea Medica

DANIELIS DE CAMDOMER.

*Ingredere ò Iuuenis , primosque Machaonas inter
Surge , triumphalem conscendens victor in arcem ,
Vnde tibi se præbet honos velatus amictu
Coccineo , patriosque lares iam nomine complet ,
Quod tibi Phylliridæ studijs transmissa iuuentus ,
Et vegetæ mentis solertia detulit , ardens
Dum tentas laudem studijs equare parentum ;
Quos Patavinus apex celebres per Gallica castra
Vt semel hic fecit , sic te quoque laude beabit
Immensa , atque simul repetent tua cæcta volatu
Præcipiti , comites virtus tibi fama , decusque .*

IACOBVM GAFFARELLVM

Librum De Nihilo scribentem.

*Artibus in reliquis quantus sis scripta fatentur
Edita, Philosophus qualis, at ista docent.*

In Tabulas secundorum Mobilium

ANDRÆ ARGOLI

Ad

IOANNEM

Filium.

*Multa tuo debent Cælestia fata parenti,
Certius antiqua quæ docet ire via;
Sed non est minimum quod vos debetis & illis,
Naturam in vobis dūposuere suam;
In te nam facilis numerus defluxit Olympo,
Inque Patrem radius doctior inde venit;
Felices igitur queis sunt commercia Cæli,
Et Cælo & vobis pergite digna loqui.*

Conclusio

SYNTAGMATIS

De Studio Militari

editi Romæ 1637.

*Hæc mea vota ferunt, sic tu, Lodoice, potenti
Dextra acies rumpens, sic tu molimine mentis,*

*Victor in aduersas ducens tua Castra Phalanges
Ibis in aeternum famę decus, ò mihi dulce
Quantum erit ! eximie repetenti ab origine quondã
Facta tuę gentis, longo de stemmate nomen
Guidiadum proferre, tuisque ingentibus ausis
Tot proceres ornare tuos, atque inclyta rursus
Facta Patris, veterūque simul decora alta parentū
In laudes reuocare tuas, quo singula possim
Complecti, titulosque novos, veteresque referre,
Atque operi præclaro optatum imponere finem,
Quod modo Francisci letus sub murice condo.*

In Exequiarum

LUDOVICI CANALIS

Marchionis ab Alta-Villa

Magnificentiam.

*Ne Patriæ, Ludouice tuę, Fratriſque requiras
Officium, Palmas queis tu, celebresque triumphos,
Et famam, partumque decus post Fata relinquis:
Ductores inter primos dum classe fatigas
Littora Turcarum; gelido dum cardine fusas
Tot ferro accinctas gentes, animisque paratas
Sternis humi, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & Gallo simul es, Ligurique verendus,
Talibus Exequijs soluit tibi Iusta, Reate
Et Frater lachrymans condit tua mēbra ſepulchro.*

In Natalem

INFANTIS DELPHINI.

*Exoptata diu votis communibus , alta
Progenies Regis , quo nusquam iustior alter ,
Nec pietate fuit, nec bello maior , & armis
Ecce tuo nostri signantur nomine Fasti ,
Quod fore venturis spes est memorabile sæclis.
Iamque sui cultrix populosa Lutetia Regis
Exilit , atque tuo multum iactantior ortu ,
Contendit teneris desigere basia membris ,
Basia mirificum semper testantia amorem .
Gallia quin etiam famulas tibi porrigit vlnas,
Ausu nouum sperare decus , cum cingere cunas
Regales , pueroque frequens seruire laborat ,
Quem Deus ipse dedit , tristes cum segnior ultra
Inijceret Natura moras , quem reddere certum est ,
Spem populis , Matrique decus , columenq; Parēti.
Denique surgenti longa post nocte , diemque
Per medias nubes Phæbo referente coruscum ,
Ut gaudet , gestique nouo de lumine mundus ,
Talia sic tecum diffulgent gaudia terris .
Cresce igitur , Puer alme , tuis velocius annis ,
Felix cresce , tuum felix imitare Parentem ,
Subiuga qui mittit populos quoscumque rebelles ,
Oppressosque leuat , dum victor temperat orbem
Consilio , virtute , animo , pietate , triumphis .*

In Urbis delicias

LEONORAM, ET CATHARINAM

Sorores, earumque Matrem

ADRIANAM

Lectissimam Feminam.

*Docta fideis digitis pulsare Adriana peritis ,
Mirandasque lyra fundere delicias ;
Quasiuit citharæ voces sociare canoras
Quis velit, & geminis carmina digna sonis ?
Sed quia non rursus , non vox fuit ulla , superbo
Quæ modulos plectro posset habere pares .
Ipsa suæ dixit præstantis conscia prolis ,
Quid iuuat externos sollicitare lares ?
Si Leonora mihi vocum discrimina mille ,
Et numeros poterit iam Catharina dare .
Nec mens leua fuit , nam sic laudantur in istis ,
Vox numerus , plectrum , conueniuntque simul ,
Vt noua tot cernens Roma miracula , credam ,
Hoc fecisse Deum , cætera Pontificem .*

In Drama Comicum exhibitum Romæ

Ab ORATORE

REGIS CHRISTIANISSIMI .

*Tantum Roma tuo debet , Couree , theatro ,
Delphino quantum Gallia tota suo ,
Nempe rapis celeres per gaudia certa Quirites ,
Vt rapit hic Gallos ad noua fata suos*

Signaque letitiæ Regali debita nato ,

Nil melius poterat , quàm tua scena dare .

Nam Siluæ, Rhodanus, Cælūque, Lutetia, Auernus,

Et modulata simul carmina voce graui ,

Admiranda sui præbent spectacula , & arte

Certant Delphini vincere prodigium .

AD OCTAVIANVM CASTELLVM

De alio Dramate quod exhibuit in eiusdem

ORATORIS Palatio .

Hoc magnum est, Castelle, tui quod Roma theatri

Excipit arrecta, qua solet, aure, iocos :

Sed tua cum Gallis placeant quoque pegmata, toti

Hinc puto quod mundo, iam tua scena placet .

PAGANINI GAUDENTII

Ad Gabrielem Naudæum .

Cum nitido eloquio, & mira dulcedine fandi,

Allicias Gallos, Romuleumque gregem ,

Fecisti haud dubiè Phæbo felicibus extis ,

Fecisti Suade, Pierioque choro .

Tu tamen hoc renuis querulus Naudæe fateri ,

Et satagis proprium dissimulare decus .

Pone modum metui, nimio ne frange pudorè

Ingenuas vires, Palladiamque animam ;

Quin memora impavidus Musas, alacerq; Mineræ

Gratas pro tanto munere pende vices .

R E S P O N S I O.

*Non ego Castalios sitiens potare liquores ,
 Nec possum blandis neſtere verba modis ;
 Non Roſtris mea lingua tonat, non murmura tēplis
 Excitat , aut ſcriptis laus datur vlla meis ;
 Denique non certa pretium mihi venit ab arte ,
 Qua potior reliquis ſit mihi fama viris ;
 Sed tibi facundi genialis Muſa Tibulli
 Cum ſit , & eloquium , quod Ciceronis erat ,
 Hinc mea Gaudenti , tecum , bona condere conor ,
 Nam ſua ſic condit Cynthia Sole minor .*

I A C O B I G A D D I I

De Allatio, & Naudæo .

*Palladij geminum Cœli mirabere ſyduſ ,
 Qui potis eſ tantum cernere mente iubar ,
 Aſpice vt eloquij radiantia ſpicula vibret ,
 Doctrinæ & radios fundat utrumque novos ;
 Græcia ſe iactet, ſe iactet Gallia , tantum
 Par gendiſſe ſatis non Regio vna fuit .*

R E S P O N S I O.

*Gallia plura tibi , plus debet Græcia Gaddi ,
 Vtraque quam tellus, Allatio, atque mihi ,
 Nam quia laudaſti, merito nos iactat alumnos
 Gallia Naudæum , Græciaque Allatium .*

In Funere
M V T I I O D D I
Vrbinatis Mathematici.

Oddus Vitruuij nodos dissoluere doctus ,
Doctus & alterutro fundere verba pede .
Ipse sibi tumulum viuens fabricare decorum ,
Et tumulo poterat carmina multa dare .
Sed proprias cum nollet opes iactare , nec artem ,
Sat moriens habuit , talia verba loqui ,
Si iuuat ingenuas vitam coluisse per artes ,
Et patriæ famam conciliasse suæ ,
Vos mihi queis patriæ decus est , & gloria cordi ,
Urbini procures , præmia , iusta date .
Dixit , & Vrbinum meritos nunc soluit honores ,
Extincto Euclidi , Vitruuioque suo .

D E S E L L A

Fabri Podagrosi.

Admiranda nouæ referam miracula Sella .
Quam sibi Dædalea fecerat arte Faber ;
Hæc geminis agitata rotis , queis tertia seruit ,
Aegroti manibus vertitur ad libitum :
Fessaque dum placido traduntur membra sopori ,
Fit subito lectus , quæ modo currus erat ,
Ipsa parat dapibus mensam ; parat atque legenti
Pulpita , non opus est surgat ut inde satur

*Denique natus nominis tam quam tuus campis imperio
Vnica non possit quam bene Sella dare ,
Disce igitur natura, Fabri constringere dextram ,
Quem male fecisti prouida Loripedem .*

AD CANONICOS REATINOS

De Instauratione eorum

TABVLARII.

Hactenus ipse meo defunctus munere scripsi,
*Membranas quæ signa notent, quæ tēpora rerū
Prisca, voluminibus seruentur condita vestris.
Utque nouis possint loculis disposita reponi
Singula quæque suis, sed nunc nisi Vestra tenere
Incipitis, vestri quàm non fecere parentes
Cautius, eximia vos laude carebitis, & re,
Qua melior, me Iudice, nec præstantior ulla est.*

Laurea

IOAN. BAPT. GAMBÆ.

Inclite Gamba, tuas viridi circumdare Lauro
*Sponte sua properat nunc Themis alma comas,
Sed quia Castalidū sequeris quoque castra sororum,
Nec minor est Pindi, quàm tibi cura Fori,
Hinc tua diuinis celebratur fama Poetis,
Et caput hinc gemina cingere fronde potes;
Iamque tuo melior præstanti facta labore
Vtraque te gaudet Musa, Themisque duce.*

De

CLAVDII ACHILLINI
AD LVDOVICVM

Galliæ Regem Christianissimum.

*Hoc tantum, Ludouice, tuis felicibus ausis
Contigit aduersi, quod modo vate carent;
Nam lepido celebrare tuos, Rex magne, triumphos,
Solut Achillinus carmine, dignus erat.*

F I N I S.



